

» omnia indulta, omnes gratias quibus ab apostolica sede decoran-  
» tur, adimimus, volentes illa pro non concessis haberi. Postremo  
» quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca deferri in  
» quibus necessarium foret, volumus et apostolica auctoritate de-  
» cernimus, quod earum transumpto manu notarii publici confecto  
» et sigillo alicujus praelati ecclesiastici munito ubique stetur,  
» prout originalibus litteris staretur, si essent exhibitae vel osten-  
» sae. Et quia dolus et fraus nemini debent patrocinari, nullus va-  
» no decipiatur errore, ut intra tempus sui regiminis praedictas  
» censuras et poenas vel aliquas earum sustineant, quasi post illud  
» non sit ad satisfactionis debitum compellendus: nam et ipsum  
» qui satisfacere et in aliquo praemissorum mandatis nostris ob-  
» temperare noluerit, et successorem ejus, nisi paruerit, decerni-  
» mus eisdem poenis inclusum ac in omnibus et per omnia obli-  
» gatum. Et cum ipsae praesentes litterae Venetiis propter eorum-  
» dem venetorum potentiam nequeant tuto publicari, ne veneti et  
» alii quos litterae ipsae contingunt, quibusve aliquid mandatur  
» vel prohibetur per easdem, valeant de praemissis ignorantiam  
» allegare, et praetextu ignorantiae hujusmodi si non paruerint,  
» velamen excusationis assumant: volumus litteras ipsas in valvis  
» basilicae principis apostolorum de urbe affigi, et per hujusmodi  
» affixionem publicari: decernentes, quod earundem litterarum  
» publicatio sic facta, perinde eosdem monitos et omnes quos lit-  
» terae ipsae contingunt, arctet, ac si litterae ipsae die affixionis et  
» publicationis hujusmodi eis personaliter lectae et insinuatae fo-  
» rent: cum non sit verisimilis conjectura, quod ea quae tam paten-  
» ter fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Non obstantibus  
» constitutionibus apostolicis etc. et contrariis quibuscumque, seu  
» si monitis praefatis et quibusvis aliis communiter vel divisim a  
» sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel  
» excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes  
» plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujus-  
» modi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam